

00

kt

S. C. 132

vgl an Id 2007

Sheet

IV. C. 3.

DE  
LINGVA DEORVM AT-  
QVE HOMINVM HOMERO  
CELEBRATA

DISSERERE PERGIT

ET EX LEGE

SERENISSIMAE FAMILIAE  
SCHOENAICHIANAE

FRIDERICIANI CONDITI MEMORIAM

ORATIONE SOLEMNI

D. XII. IVLII HORA X. MATVTINA

RENOVATVRVS

CELEBERRIMO ATQVE DOCTISSIMO

WESTERMANNO

VENERABILI ACADEMIAE SENIORI

SCHOLAE CVRATORI IMMORTALITER

MERITO

PRO SPLENDIDISSIMA SVA BIBLIOTHECA

HVIC LYCEO DONATA

DEBITAS GRATES LVENS MERITOQVE PERSOLVET

ERN. AVG. SCHVLZE,

FRIDERICIANI RECTOR.

FRANCOVRTI AD VIADRYM,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.



LINGVA DEORVM AT  
OVE HOMINVM HOMERO  
CENTRATA

DISSECTIO ERGIT

ET EX LEGE

REPERIUNTUR FAMILIAE

SCHEFFNERIANAE

MEMORIAM CONDITI MEMORIAM

ORATIONE SOLEMNI

DE XIV. JULII HONORIS MARTINIA

REPERIUNTUR

EXCERPTIS ALIIS DE REBUS

WESTERMANNO

REPERIUNTUR A COMMENTARIIS

REPERIUNTUR IN PUBLIATIS

REPERIUNTUR IN BIBLIOTHECA

REPERIUNTUR DONATA

REPERIUNTUR IN REPERTORIIS

REPERIUNTUR IN SCHOLAE

REPERIUNTUR IN

REPERIUNTUR IN PUBLIIS

REPERIUNTUR IN REPERTORIIS





§. I.



**H**OMERVS in diuino suo Iliados opere facta Deorum, atque hominum celebrans, duplicem simul linguam memorat, linguam scil. Deorum, atque hominum; ex vtraque dialecto quaedam notauit vocabula.

II. A. v. 403.

Ὅχ' ἑκατοχχειρον καλεσας ἐς μακρον Ὀλυμπον  
Ὅν Βριαρεων καλεσσι θεοι, ἄνδρες δε τε παντες  
Ἄγχιων. Ὅ γαρ αὐτε βιη εἰ πατρος ἀμεινων  
Statim centimanum vocans in magnum Olympum  
Quem Briareum vocant Dii, homines autem omnes  
Aegeonem, hic enim duplo viribus suo patre praestantior.

II. B. 318.

Ἔσι δε τις προπαροιθε ποληος αἰπεια κολωνη  
Ἐν πεδια ἀπανευθε περιδρομος ἐνθα και ἐνθα  
Την ἦτοι ἄνδρες Βατιειαν κικλησκουσιν  
Ἄθανatoi δε τε σημα πολυσκαρθμοιο Μυριννης  
Est autem quidam ante urbem (Troiam) locus editus  
In planicie seorsum circumuius vndequaue,  
Quem quidem homines Batieiam vocant  
Immortales autem sepulcrum agillimæ Myrinner.

A

II.

## II. Z. 289.

Ἐνθ' ἤς' ὄρσιον πεποικασμενος εἰλατνωσίν  
 ὄρνυθι λιγυρῇ ἐναλιγκίος, ἦντ' ἐν ὄρεσσι  
 Χαλκίδα κικλησκασσι θεοί, ἄνδρες δὲ κυμινδῶν

*Illic sedit ramis opertus abiignis*

*Aui arguta similis, quam in montibus*

*Chalcidem neminant Dii, homines autem Cymindem.*

## II. Y. 73.

Ἄντα δ' ἄρ' Ἡφαισειο μέγας ποταμὸς θαυδωδῆς

ὄν Ξανθὸν καλεῶσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκαμανδρῶν

*Contra autem Vulcanum magnus fluvius, altis vortices habens*

*Quem Xanthum vocant Dii, homines autem Scamandrum.*

Præter hæc adhuc duo ex lingua Deorum in *Odyssæa* occurrunt vocabula: κ. v. 305 herba, quam ad Circes incantationes auerruncandas Mercurius dederat Vlyssi, ex hac lingua Μολυ, et M. v. 61 petrae, aut insulae saxosæ, Πλαγται vocantur.

## §. II.

Memoratu dignissimum est hocce discrimen, iam *Plato* Philosophorum *Homerus* in eodem peruestigando suam posuit operam (a) *Christ. Henr. Postellus* (b) illud inter maxima Homericæ operis axiomata, eruditè adhuc pensitanda, refert, plura simul, quæ huc spectant, ex antiquis, atque recentioribus collegit, dialectum Deorum linguam Cimmericam, Scythicam, aut Teutonicam fuisse censet, iam ante eum *Ioh. Georg. Herwartus ab Hohenburg* (c) hanc coniecturam fecit. Huius vestigia legens *Ioh. Georg. Eccardus* (d) significatum vocis cuiusdam in lingua nostra reperisse sibi visus est. *Xanthus* ex eius sententiâ nomen suum ab arena, nostro *Sand*, traxit. At omnia linguæ Deorum vocabula, quod iam observavit *Lakemacherus* (e) sunt græcæ

(a) In *Craylo* p. 270 Edit. Francof.

(b) In libro cui titulum dedit *die listige Iuno*, P. II. p. 367.

(c) In *Chronologia*, quæ Monachii a. 1612. prodit.

(d) In Libro de *Origine Germanorum* p. 25.

(e) In *Observatione de lingua Deorum Homero celebrata*, in *Observationibus Philologicis* P. III. p. 259.

græcæ originis. Inter Gallos nobilissima illa *Dacier*, magis Homero, Græcorumque Musis, quam colo, calathisque assueta nobile hoc argumentum sibi vendendum fumsit. Inter Anglos celeberrimus *Pope*, plurimus in Homeri honorem, multus etiam in excutiendo hoc discrimine fuit. In illud haud ita pridem simul inquituit sagacissimus *Warburton*. Et inter Italos fuerunt, qui idem suis curis illustrare conati sunt. At curis hisce doctissimis nondum materiam hanc in apicum productam, atque explicatam videmus. In obscuro adhuc latet, vti recte iudicat Celeberr. *Heinius* (f) Egregia vero sunt, reconditamque doctrinam spirant, quæ Vir iste doctiss. ad illustrandum nomen *Θυσιας* attulit, quo nomine Pherecydes Syrus ex lingua Deorum apud Diogenem Laertium altare insigniuisse fertur. Hæc igitur iam eius verbis exponere liceat: *Nous ne savons point encore, ce que ce Prince des Poetes a voulu designer par son dialecte des Dieux. Pour ce, qui regarde le Passage en question, il est aisé de l'expliquer par les livres des Phéniciens, dont Pherecyde avoit fait l'acquisition. Hesychius dit, que le Θυσιας étoit une Table destinée au culte divin, propre à recevoir les sacrifices. Le mot vient, comme Casaubon l'a remarqué παπατα θυηώπειν, et c'est ce que les Latins nommoient Anclabris, les Hebreux מזבח, un autel. Or un Autel dans l'Ecriture sainte du V. T. est souvent nommé שולחן table. La même chose donc qu'on appelloit, lorsqu'elle servoit aux usages ordinaires τραπέζα, une table, prenoit dans le culte sacré le nom de Θυσιας, ou Autel.*

§. III.

Eruenda igitur est Homericæ huius discriminis causa, et origo; hæc nobis ex sacris Græcorum mysteriis, eorumque fabulis de campo Elysi, atque Tartaro patebit. Gentes indagandæ sunt, quibus suam linguam Dii, suam debent homines. Deorum linguam inter Græcos, hominum dialectum inter barbaros, Scythas scilicet, atque Germanos reperiemus. *Lakemacherus* iam ex Scamandro, nomine

A 2

Troici

(f) In Dissertation sur Pherecyde Philosophe de Syre in Histoire de l'Academie Royale des sciences et belles lettres à Berlin Année 1747. p. 335.

Troici fluvii, coniecturam cepit, linguam hominum fuisse Phrygici idiomatis (g) At Phrygum dialectus conspirat cum lingua Scytharum (h). Nec propterea mirandum, linguæ hominum vocabula, Phrygibus usitata, inter Scythas, et adhuc inter Germanos esse reperiunda, et nobis iam antiquissimum linguæ nostræ monumentum apud Homerum reperire licebit.

§. IV.

Qui inter Germanos linguam Deorum Germanis adsignandam putarunt, nimium patriæ suæ amori tribuerunt. Gentis nostræ conditores se quidem Titanes, aut Teutones, Terræ, aut Dei filios nuncupabant. At Titanes isti, ut Cyclopes apud Homerum, nequaquam Græcorum Iouem, a capra nutritum, neque beatos illorum Deos curabant, se enim longe præstantiores existimabant. Latrocinii suis Græcos infestabant, eorum templa exspoliabant, ipsis Diis bella inferebant. Hinc Græcis quam maxime inuisi erant, hinc per contemptum, atque odium *πηλογοιες*, ex luto geniti, appellabantur. Græcis ex meliore luto finxerat præcordia Titan. Quis adeo Homerum, Græcorum Musæ enutritum, Græcorum Diis barbarorum horridam linguam adsignasse putabit?

*Graius ingenium, Graius dedit ore rotundo  
Musæ loqui.*

Graius igitur simul το θεϊον huius linguæ relinquamus.

§. V.

Linguam Deorum a Græcis, hominum vero dialectum a barbaris repetendam esse, dux nobis, atque auctor factus est Homerus, ipse simul facti discriminis originem pandet. Omnium enim Deorum, atque beatorum sedem, campum scil. Elysium inter Græcos collocat.

*Odyss.*

(g) In Obseruat. iam citata §. III.

(h) Vid. Rudbeckius in *Atlaur.* T. I. c. 36. ut et Wachterus in *Glossario Teuton.* in Præf. §. XIX.



*Odyss.* Δ 561.

Σοι δ' ἔ θεσφατον ἔστι, διοτρεφες ὦ Μενελάε  
 ἄργει ἐν ἵπποβοτῶ θανεῖν καὶ ποτμον ἐπισπείν  
 ἄλλ' σ' ἐς Ἥλυσιον πεδιον, καὶ πειρατὰ γαίης  
 ἄθανατοι πεμφέουσιν, ὅθι ξανθος ῥαδαμαντος, κ. τ. λ.  
*Tibi autem non a fato decretum est nobilis o Menelae*  
*In Argo equos pascente mortem et fatum subire*  
*Sed te ad Elysiū campum et fines terræ*  
*Immortales mittent, ubi flavius Rhadamantus est etc.*

Campum hunc Elysiū, ipsam Menelai patriam, ad fines terræ Argos, in Messenia situm esse, ostendit *Lakemacherus* in *Observ. de campo Elysiō in Messenia sito* in P. II. *Observ. Philolog.* p. 45.

§. VI.

Quemadmodum vero campus Elysius inter Græcos, ita Tartarus, et omnis harum fabularum fundus inter barbaros, inter Scythas, atque Cimmericos quærendus est. *Homerus* eundem II. ②, 13. et 478. ad ultimos maris, et terræ fines collocat. *Vlyssi* quidem simul infernus inter Cimmericos, ad Baianum, et Auernum sinum habitans, patebat. At ubiuis facilis datur descensus auerni, et vates noſter simul plures fabulas de Cimmericis Boſporanis huc transfert.

§. VII.

Hæc nos iam in antrum Nympharum deducunt, de quo *Homerus Odyss.* N. v. 102.

ἄνταρ ἐπι κρατος λιμενος τανφυλλος ἔλαιη  
 ἄρχοθι δ' αὐτῆς ἀντρον ἐπήρατον, ἡεροειδές  
 Ἴρον νυμφῶν αἱ Νηιάδες καλεονται  
 Ἐν δε κρητηρες τε καὶ ἀμφιφορες ἔασιν  
 λαῖνοι ἐνθα δ' ἔπειτα τιθαιβωσσοσι μελισσαι  
 Ἐν δ' ἴσοι λι θεοι περιμηκεες, ἐνθα τε Νυμφαι  
 Φαρὰ ὕφαινεσιν ἀλιπορφυρα, θαυμα ἰδεσθαι  
 Ἐν δ' ὕδατ' ἀνεοντα δυα δε τε οἱ θυραι εἰσιν  
 Αἱ μὲν πρὸς βορεας καταιβαται ἀνδρωποισιν

Αὐτὸ δ' αὖ πρὸς Νότον εἰσι θεώτεραι, εἶδε τι κείνη  
Ἄνδρες ἔσπερχονται, ἀλλ' ἀθανάτων ὁδὸς ἐστὶ.

*At in vertice portus passis ramis oliua  
Prope autem ipsam antrum amoenum obscurum  
Sacrum Nympharum, quæ Naiades vocantur  
Intus autem crateresque et amphoræ erant  
Lapideæ: ibi vero præterea mellificabant apes  
Intus tela lapideæ prælongæ, illicque Nymphæ  
Lintea texunt cærulea, mirabile visu  
Intus autem aquæ perpetuæ, duæ autem ei ianuæ sunt  
Hæ quidem ad Boream permeabiles hominibus  
Illæ autem rursus ad Notum sunt sacriores neque illac  
Viri intrant, sed immortalium via est.*

De antro hocce Nympharum peculiarem librum conscripsit *Porphyrus*. Miratur telas lapideas, crateres, in quos apes mella condebant, suspensum ipsum in primis tenet duplex porta, quarum vna ad austrum vergens, Diis, altera boream spectans, hominibus permeabilis erat. Omnia enim fere templa statuas, ingressusque versus ortum habent, ingredientibus autem occasum respiciunt, ubi vultu statuis obuerso consistentes Diis honorem, cultumque tribuunt. Ad hæc explicanda omnes coeli plagas excussit, totum mundi systema in hoc antrum, ceu in compendium redégit, duæ portæ iam ipsi factæ sunt duo sidera coeli, cancer scil. atque capricornus. At auctor iste ita nobis errare videtur, ac illi, qui in vehiculo, quo inter Germanos quondam Dea Hertha suis cultoribus inuehebatur, systema Copernicanum reperisse sibi visi sunt (i). Recentiorum quorundam sententias de hoc antro attulit *Postellus* (k) ipse tamen nihil hic inuenire potuit, quod ad explicandam vtramque linguam facere posset. Nosmet iam ex illo huius discriminis originem, atque rationem eruere tentabimus. Sacra Græcorum mysteria hic abscondita latere videmus. Antrum hocce arcanus quidam initiationis secessus erat. *Homerus* enim, cuius poe-  
fin

(i) Vid. *Illustris a Westphalen in Monumentis Cimbr.* T. IV. Præf. p. 220.

(k) In Libro iam cit. p. 393.

fin recte p̄cturam loquentem vocaueris, id sibi in primis datum esse putabat, vt sua tempora, atque horum temporum mores ceu in aulæorum quodam velamine depingeret, atque posteritati exponeret. Qua propter et telæ huic quædam, quæ ad sacra hæc collineant, intexuit, at arcano simul peplo inuoluit, hæc enim profano vulgo non reuelanda erant. Miramur, Porphyrium ad hæc non attendisse, atque eo magis mirari debemus, cum ipse quædam huc attulit, quæ simul sacra hæc in mentem reuocare potuissent. Gentilium mysteria ex tenebris suis, quibus huc vsque sepulta iacuerunt, in eruditorum lucem iterum protraxit, atque ex illis simul L. VI. Virgiliti Aeneidos explicuit Celeberr. *Warburton* (1) at antrum Homeri intactum reliquit, huic vero conformis est spelunca Virgiliana. Virgilius iam suam lucem reddet Homero. In propylæo Homericæ antri stabat oliua passis ramis.

*Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris  
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum  
Seruati ex undis ubi figere dona solebant  
Laurenti diuo, et votas suspendere vester.*

Virgilius hæc Aen. L. XII. 766, canens, obseruante *Turnebo*, ad ritum priscae superstitionis, et in primis Græcorum respexit, qui oleastris, ante fana positis, votiua sua dona suspendere solebant. Apud Homerum Vlyssis focii dona a Phæacibus accepta ad radices huius oliuæ reponerant. Arbor ista castitati, et propterea Palladi ob perpetuam eius virginitatem sacra erat, insigne simul erat sapientiæ. In mysteriis arcana tradebantur dogmata, caste omnia peragenda erant. Apud Virgilium Aeneæ, speluncam Sibyllæ ingressuro, prius decerpendus erat

*Aureus, et foliis et lento vimine ramus  
Iunoni infernæ dictus sacer*

Ita enim Sibylla illi occinebat v. 140.

*Sed non ante datur telluris operta subire  
Auricomos quam quis decerpserit arbore foetus*

*Hoc*

(1) In Libro, qui iam in Germanicam linguam translatus titulum profert *Goettliche Sendung Moses* L. II. Sect. IV. p. 190.

*Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus  
Instituit.*

Aeneas ramum reperit

*Et vatis portat sub tecta Sibyllæ.*

Antrō Homeri præerant Nymphæ. Has enim Ceres, mysteriorum Dea, in antro, cum Proserpina, sua cura enutriendas susceperat. In mysteriis sæpius feminæ *ιεροφαντων* munere fungebantur. Apud Romanos Sacra Cereris tantummodo per castas feminas celebranda erant. Quapropter etiam Virgilius Aeneæ initiando Sibyllam Cumanam, castam vatem, adiungit. Antrum Homericum absconditas habebat amphoras, crateresque, in quibus mellificabant *μελισσαι*, apes. Apes apud veteres symbola erant castitatis, hinc et castæ illæ feminæ, quæ Cereris mysteriis præerant, dictæ sunt *Μελισσαι*, (m) ipsa vero Proserpina *Μελιτωδης* (n). In Leonticis sacris mel aquæ loco manibus lauandis adfundebatur. In sacris Bonæ Deæ vas vino repletum, in eius templum inferendum, non suo nomine, sed mellarium vocandum erat, et amphoras Nympharum, in quibus apes mellificabant, mellaria appellare possumus. In spelunca Virgiliana comes illa Sibylla Cerbero, Aeneam allatranti v. 420.

*Melle*

(m) Ex his iam simul noua quædam lux adfulget loco cuidam *Πινθια* in *Phocidis* p. 810. Edit. Lips. de templo Delphico, quem nobis Doctiss. *Heinius*, cum illi cogitata nostra de antro Homericō exponeremus, statim pro vastissima sua lectione indicauit. *Paulanias* ex antiquissima quadam traditione templum illud ab apibus e cera, et pinnulis compactum esse refert: *Δευτερα δε λεγσιν οι Δελφοι γενεσθαι υπο μελισσων τον ναον, απο τε τε κηρα των μελισσων και εκ πτερων*. Nem templum ab apibus e cera et pinnulis conditum! *Paulanias* mox addit. *Λεγεται δε και ετερος λογος ως τον ναον κατεσκευασατο ανηρ Δελφος, ονομα δε αυτω Πτεραν ειναι, κατα τωτο εν γενεσθαι και τω ναω τρωμα απο τε οικοδομησαντος*. Iam pinnulas habemus. At vnde cera apum? Non Apes, sed feminæ sacerdotes, *Μελισσαι* etiam dictæ, templum hoc exstruxerunt. En fabulæ originem!

(n) Vid. *Porphyrius* in Libro cit. atque ex illo simul *Warburton* p. 320.

*Melle soporatum, et medicatis frugibus offam*

*Obiicit.*

Per medicatas fruges recte *Warburton* Cereale illud papauer intelligit. Papauer enim sacrum erat Cereri, mel vero Proserpinae. Nymphæ apud Homerum lintea texebant ἀλιπορφυρα, miranda visu, telæ illis erant lapideæ. Nymphæ istæ lanificæ erant sorores, quales finguntur Parcæ, vti et nobis eas sistit *Catullus* in *Epithal.* p. 186. Edit. *Vossii*

*Candida purpurea quam Tyro incinxerat ora*

*At roseo niuæa residebant vertice vittæ*

*Æternumque manus carpebant rite laborem*

*Læua colum molli lana retinsbat amictum*

*Dextera tum leniter deducens fila supinis*

*Formabat digitis: tum prono in pollice torquens*

*Libratum tereti versabat turbine fusum.*

Plato (o) lepidam adfert fabulam, ex mente veterum poetarum confictam, quam vero *Iustinus Martyr*, lucidum ecclesiæ fidus, pro vera historia accepit, de Hero scil. *Pamphylio*, qui, cum fortiter dimicans in prælio occubisset, duodecimo ab obitu die, pyræ iam impositus, revixisse fertur. Plura ille, quæ viderat, hominibus enarrabat, ad cælum sublatus in medio hocce lumine se vidisse aiebat extrema cœlestium ligaminum a cœlo tensa; esse enim lumen istud cœli vinculum, quemadmodum trirremium succincturæ, atque ita circumferentiam omnem esse contentam. Ex apicibus vero suspensum Necessitatis Deæ pensum, per quod omnes circuitus peragantur. Cuius susus quidem et cuspis ex adamante. Verticulum vero ex hoc, aliisque generibus mixtum. Mittimus reliqua, quæ simul hic conglomerantur. Et in antro *Homeri* prælongas lapideas telas, vela cærulea videmus. Nymphæ ibi stamina ducunt, æterna mortalium fata. Hæc fata simul in mysteriis conspicienda præbebantur, multis sane horrenda visu: Antrum Nympharum perpetuis manabat fluentis; ita et spelunca *Sibyllina* apud *Virgilium* v. 236.

B

Spe-

(o) In Libro X. de Republica p. 761.

*Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu  
Scrupea; tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.*

In antro Homeri duæ patebant portæ, ita pariter in spelunca Virgiana v. 893.

*Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur  
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:  
Altera candenti perfecta nitens elephanto,  
Sed falsa ad cœlum mittunt infomnia manes  
His ubi tum natum Anchises, vnaque Sibylla  
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna.*

At quorsum geminæ portæ apud Homerum nos ducent? Hoc iterum videre erit ex Virgilio v. 540.

*Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas  
Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit  
Hac iter Elysiûm nobis: at læua malorum  
Exercet poenas, et ad impia Tartara mittit.*

Pariter dictus Pamphylus apud Platonem se statim post mortem in locum quendam dæmonum peruenisse aiebat, ubi terræ duos proximos viderat hiatus, duos item alios e conspectu superne in cœli regione. Inter hos hiatus iudices sedebant, qui, iudicio factò, iustos ad dextram, in cœlum adfendere, iniustos vero ad sinistram, in suum locum recedere iubebant. Viderat ibi per vtramque cœli terræque portam animas, lata sententia, abeuntes, per alias item duas, ex terra quidem ascendentes animas, puluere, squalore, macieque confectas, e cœlo autem alias nitidas descendentes. Portæ istæ sunt eadem, quas Homerus hebraizans *πυλας τῆ ἀδῆς*, et *πυλας τῆ ἐρανης* appellat, tales simul in hoc antro patebant. Vti vero campus Elysius ad austrum inter Græcos (s. V.) Tartarus autem inter Hyperboreos, Scythas, atque Cimmericos quaerendus est (VI.), ita et huius antri porta, Diis patens, ad austrum, porta vero hominibus permeabilis ad arctum spectabat. Impia tartara cimmericis, æternis tenebris premuntur, sedes vero beatorum semper sua luce gaudent. Ita illas describit Virgilius: v. 638.

*Deue-*

*Deuenero locos laetos, et amœna vireta  
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas  
Largior hic campos æther, et lumine vestit  
Purpureo, solemque suum sua sidera norunt.*

Hinc adeo iam ratio elucet, quare Homerus antrum suum obscurum simul, atque amœnum vocauerit. Porta Diis sacra, castis, atque piis Deorum cultoribus, Græcis scilicet permeabilis erat. Quapropter et Æneæ a Sibylla hæc porta, atque beatorum sedes permeanda dabatur, infernæ tenebræ, atque poenæ illi tantummodo e longinquo monstrabantur v. 562.

*Dux inclyte Teucrum*

*Nulli fas casto sceleratum insistere limen:*

*Sed me, cum lucis Hecate præfecit Avernus,*

*Ipsa Deum poenas docuit, perque omnia duxit.*

In mysteriis Græcorum tantummodo vsus græcæ linguæ valebat, mystagogi propterea, quod refert *Libanius* (p) initiandos monebant, vt se in sermone Græcos præstarent. Sacris hisce initiati se super omne vulgus euectos, immortales, Diisque similes factos esse putabant. Ob sacrum, atque diuinum vsum, quem Græca lingua in mysteriis obtinebat, Homerus eandem Deorum linguam vocauit. Porta igitur australis, Diis sacra, nos ad Græcos, porta vero septentrionalis, hominibus patens, ad Hyperboreos, ad Scythas deducit.

§. VIII.

Deos iam apud Homerum loquentes audiamus! Omnia eorum verba, quod iam ostendit *Lakemacherus* (q) ex Graiorum fontibus parce detorta cadunt, atque purissimam eorum referunt dictionem. Nomen Briarei formatum est ex Græcorum *Briarops*, quod *robustum*, atque *validum* denotat. Vocabulum, quo Dii monumentum Myrinæ

B 2

insigni-

(p) In *Cosinthiorum* actione. Locum iam excitauit *Wasburton* in Libro cit. p. 270.

(q) In Libro cit. p. 250.

re solebant, est ipsum Græcorum *σημα*. Auis Diis *χαλκίς* dicta, teste *Aristotele* (r) nigro colore est, nec incongrue propterea cum *Lakemachero* nomên a *χαλκίζω* deduxeris. *Ξανθος* Græcis est *flauus*, *λυτεus*, atque *rufus*. Nec nomen *μολυ* a Græcorum formis deslefit. Insulæ *πλαγται* dictæ sunt a *πλάζομαι* *erro*, *vagor*, errare enim videbantur, quoniam, uti refert *Plinius* (r) paruo discretæ intervallo ex aduerso intrantibus geminæ cernebantur, paulumque deflexa acie coeuntium speciem præbebant.

#### §. IX.

In scenam iam prodeant Homerici homines, et sua simul vocabula proferant. Quem Dii *Briareum*, illi *Aegæonem* vocabant. *Aegæon* iste insignis pirata fuit, qui inter suos deinceps diuinos honores affecutus est. *Hesychius* eum *Ἐγαλιον Θεον* appellat, et *Neptunus* dictus est *Aegæon* aut *Aegeus*, eodem nomine venit ejus filius, qui Athenis regnasse, atque mari *Aegæo* nomen dedisse fertur. Non longa est hæc fabula. *Aegeus* iste a *Minoe* *Cretensium* rege victus, quotannis septem nobiles iuuenes, sorte lectos, in *Cretam* *Minotauro* deuorandos mittere cogebatur. Quarti anni fors mortalis *Theseum* simul aufererat, filium *Aegæo* dilectissimum. Pater filio pullatum suum nauigium conscendenti iniungebat, vt si forte mortem effugere contingeret, mutato velo, album imponeret nauigio. *Theseus* *Ariadnæ* filo labyrintho suo euolutus, patriosque lares repetens, velum nigrum detrahere obliuiscatur. Pater ex alta turri mortale omen prospiciens, mox se in mare præcipitabat, atque *Aegæis* aquis suum dedit nomen. At in solarium *Thesei* *Neptuni* filius, atque *Deus* *marinus* consecratur. *Strabo* nomen maris *Aegæi* ab *Aegis*, oppido quodam *Eubœæ*, deducit, vbi *Neptunus* *Aegæus* colebatur. Mittimus alias etymologias. Origo fabulæ, primitiua horum nominum significatio nobis iam ex lingua *Scythica* constabit. *Aegæ* ibi est mare, *Aegier* piratæ, maris potentes, atque

(r) In *Hist. anim.* L. IX. c. 12.

(r) In *Hist. nar.* L. IV. c. 13.



reges, (t) quos septentrionales Germani deinceps etiam *Siockonger* appellarunt (u). Hinc adeo Briareus, insignis ille pirata, et Neptunus dictus est Aegæon, et eius filius Aegeus, hinc mare Aegæum, hinc illa conficta est fabula de Aegeo in mare hoc præcipitato, hinc et alias Græcorum fabulas, pluraque simul vocabula explicare licebit. Nobis iam fontem indicasse sufficiat.

§. X.

Monumentum agillimæ *Myrina* homines nostri *Βατεια* nominabant. Nominis vsum, atque originem frustra inter Græcos quæres, at inter barbaros, Scythas feil. atque Germanos reperire licet. *Βατεια* erat sepulcrum. Sepulcra, atque faxeæ illorum strues, ardui et operosi honores, septentrionalibus Germanis *Bauta*, *Bautastein* aut *Bautasteinar* vocantur (w) *Bed* Anglis, et nobis lectus, Cambris est sepulcrum, ad utramque vocis significationem allusit *Owenus*:

*Angli Bed lectum vocitant, Cambrique sepulcrum  
Lectus enim tumuli, mortis imago sepul.*

Nosmet adhuc faxeas illas moles, monumenta sepulcralia, in nostris terris passim obuia, *Riesnbette*, *tumulos Gigantum*, aut *Huynenbette*, *tumulos casorum*, aut *mortuorum* vocare solemus. Talis tumulus erat monumentum agillimæ *Myrina*, hominibus, Phrygibus, Barbaris *Βατεια*

B 3

nu-

(t) Vid. *Verelius* in *Indice linguae veteris Scytho Scandicae*. Ut et *Rudbeckius* in *Atlant.* De Neptuni clypeo septentrionalibus *Aegisbalmur* dicto, iam quædam notauimus in *Exercitationibus* nostris *Philolog.* p. 166.

(u) Vid. *Otto Sperlingius* de *summe Regio nomine, et titulo Kouing, septentrionalibus, et Germanis omnibus vsitato*, p. 41.

(w) Vid. *Olaus Wormius* in *Lexico Runico*, ut et *Verelius* in *Indice linguae veteris Scytho Scandicae*. Idem nomen passim in monumentis septentrionalibus occurrit. In *Haavamaal strophæ* 61. *Stal dann Bautasteinar standa Brautu å, uema, reise nidur å Nid.* Raro pyramides, vel monumenta bustorum videntur in triniis, nisi nepotes erigant parentibus. Apud *Suorronem*: *Oc satte store stena der hos til en anin delse, som de kallede Bautaścena.* Apponebant etiam saxa ingentia in monumentum, quæ vocabant *Bautasteina*, Loca iam annotauit *Keyserus* in *Antiquitatibus septentr.* p. 29.

nuncupatum. Filium hic abrumpere cogimur. Telam, quam exorti  
sumus, mox pertexemus.

Hæc præfanda erant orationi D. XVII. Iun. hora X. matutina in  
Lyceo Fridericiano habendæ, qua diuinum illud Seruatoris dicendi  
genus, quod το ὤψος Longini, atque το θεῖον Homeri superat, nobis ce-  
lebrandum sumimus, qua simul munus Rectoris huius Scholæ deman-  
datum auspicabimur; at ob exiguum temporis spatium, quod huic ora-  
tioni impendendum est, primo tantummodo huius sublimatis fonti immo-  
rabimur, quem ex Homero dedit Longinus. Ad quam orationem be-  
neuole audiendam *Magnificum Academiae Rectorem, Illustriss. Comites,  
Virum Illustrum, atque Generosissimum a Lith, Regis a consiliis sanctio-  
ribus, Optimum Fautorem, ut et Grauissimos atque Spectatissimos hu-  
ius Lycei Curatores, pie colendos, et quotquot in hac vrbe literis, at-  
que Musis nostris bene cupiunt, singulos ea, qua decet obseruantia  
inuitamus.* Scribeb. Erancof. ad Viad. d. XIV. Iun.

MDCCLV.



155556

AB 155 556

X2613390

ULB Halle  
008 342 946


3



ℓ







B.I.G.



Farbkarte #13

DE  
A DEORVM AT-  
OMINVM HOMERO  
CELEBRATA

SSERERE PERGIT  
ET EX LEGE  
ISSIMAE FAMILIAE  
ENAICHIANAЕ  
IANI CONDITI MEMORIAM  
TIONE SOLEMNI  
II HORA X. MATVTINA  
RENOVATVRVS

RRIMO ATQVE DOCTISSIMO  
TERMANNO  
ILI ACADEMIAE SENIORI  
E CVRATORI IMMORTALITER  
MERITO

DIDISSIMA SVA BIBLIOTHECA  
HVIC LYCEO DONATA  
RATES LVBENS MERITOQVE PERSOLVET  
AVG. SCHVLZE,  
FRIDERICIANI RECTOR.

ANCOFVRTI AD VIADRVM,  
CHRISTIANI WINTERI, ACAD. REG. TYPOGR.

